



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Constitutiva & proprietatis Legis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

Itaque lex differt à *præcepto*, à *consilio*, à *pactō*, & à *Jure*: à *præcepto* quidem, quia hoc non communitati propriè, sed personis singularibus, & ad certum duntaxat tempus imponitur, ideoque ex se perpetuum, & stabile non est, quamvis per accidens aliquando perseverare possit. A *consilio*, nam hoc nisi volentibus non datur, lex etiam nolentibus fertur. Item lex est ejus, qui potestatem habet in eos, quibus præcipit; consilium autem illius quoque, qui potestatem non habet. Denique facere id, quod lege præcipitur; *officii*: quod consilio datur, *arbitrii* est. A *pactō*, hoc enim est promissum, lex mandatum: in pactis dicitur: *faciam*, in lege: *fac*. Denique à *Jure*, quæ vox quandoque significat collectionem legum, veluti cum dicimus *Jus naturale*, *Jus divinum*, *Jus Canonicum*, *Jus Romanum*; aliàs designat facultatem utenti re tamquam sua.

Notio Legis ut clarior certiorque evadat, quædam consideranda sunt *ex parte ferentis legem*, *Con-* alia *ex parte eorum, quibus lex fertur*; alia deni- *stitu-* que *ex parte ipsius legis*. Ad *Imum* quod attinet: *tiva &* cum de ratione legis sit vis obligandi, hanc autem *pro-* vim lex à Superiore habeat; sequitur illam ferri *prie-* non posse nisi ab eo, qui publicam potestatem ha- *tates* bet: & quidem requiritur *potestas Jurisdictionis*, *legis.* quæ per se primùm respicit communitatem perfectam; nec sufficit *mera potestas dominativa*, quæ est circa privatas personas, veluti patris in filium, aut domini in servum. Immo nec quævis potestas *Jurisdictionis* sufficit ad leges ferendas, nam *Judices ordinarii* habent *Jurisdictionem*, quin tamen leges condere possint. Requiritur ergo principalis quædam,

dam, & summa potestas. Quippe condere legem est actus præcipuus gubernationis Reipublicæ. In ipso autem Legislatore duo requiruntur, *ex parte intellectus* iudicium, quo statuat, & decernat rem talem Reipublicæ convenientem esse, atque expedire, ut ab omnibus fervetur. Etenim lex justa sit oportet, atque adeò prudenter, & rationabiliter lata. *Ex parte voluntatis* requiritur actus, quo Princeps velit observari id, quod expedire iudicavit: actus verò ille respicit obligationem subditorum. Obligari autem illi duntaxat possunt, quæ & directionis capaces sunt, unde infantes & amentes legum vinculis immunes sunt; & qui Legislatoris imperio sunt subiecti. Hi autem ut in actu 2do (nam vis legis obligativa in actu 1mo habetur, simul atque lex à Principe lata est) obligentur, necessum est, ut lex ipsis sufficienter promulgata sit; est enim totius communitatis norma; adeoque illi ritè proposita, & sufficienter intimata esse debet. Hæc tamen promulgatio nullam vim legi addit; sed solùm est conditio, qua positâ lex vim suam obligandi exerit. Minimè autem requiritur acceptatio subditorum, alioquin non tam lex ipsa vim obligandi haberet, quàm ipsi subditi voluntariè se legi submitterent, magisque obligarentur facto & voluntate suâ, quàm Principis. Quocirca ALEXANDER VII. damnavit hanc 28vam. *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Denique *ex parte ipsius legis* requiritur, ut sit *honestas*, nam omnis potestas legislativa à Deo est: Deus autem nec dedit, nec dare potuit potestatem condendi legis inhonestas, quæ sc. vel legi divinæ, vel bonis mori-

moribus adversantur. Ut sit *justa*, h. e. commensurata viribus subditorum. In dubio de justitia legis, hæc servari debet, quia præsumptio stat pro Legislatore, qui rationibus universalibus ducitur sæpe occultis, & cæteroquin nimia foret licentia legum jugum excutiendi. Ut sit observatu *moraliter possibilis*. Ubi tamen inter leges distingui debet: nam lex naturalis *negativa* ad ea quoque obligat, quæ moraliter impossibilia sunt, h. e. quæ non sine magna difficultate possumus. Sic ad mortem evitandam non licet negare Fidem. Aliud est de præceptis affirmativis, & humanis. Certè nec ipse Deus voluit obligare homines ad sequenda Consilia Evangelica. Multò minùs potestati humanæ datum est ad moraliter impossibilia obligare. Ut sit lata *propter commune bonum*, eorum videlicet, qui membra communitatis sunt, ita ut legum mensura sit vel necessitas publica, vel utilitas. Bonum autem commune respici potest vel *immediate*, vel *mediate*. Atque hinc leges in favorem *pupillorum, minorum, aut mulierum* latæ, adhuc ad bonum commune referuntur, tametsi in bonum privatorum conditæ videantur. Nam Reipublicæ interest, ut pupillis & minoribus res suæ integræ ferventur. Sic etiam *tributa* quamvis in bonum Principis cedant; principaliter tamen redundant in bonum communitatis, utpote eo fine Principi pendi solita, ut Rempublicam gubernare, ejusque prospicere felicitati possit. Denique ut *stabilis & perpetua* sit, tum ex parte Legislatoris, qui stabiliter obligare intendit, tum ex parte subditorum. Quippe lex fertur pro communitate, quæ non extinguitur. Quamvis contingat legem
itorum

iterum cessare, vel quia revocatur ab ipso legislatore, aut successore illius; vel quia per consuetudinem contrariam abrogatur. Legis itaque perpetuitas est talis tum relatè ad intentionem condentis legem, qui intendit perpetuò obligare communitatem; tum relate ad subjectum, cui lex datur, quod est communitas semper perseverans.

II. Quatuor numerantur actus legis, videlicet *præcipere, prohibere, permittere, & punire*: nam Actus legis. nulla est lex, quæ non præcipiat aliquid, vel prohibeat, vel permittat, vel puniat. Est nimirum lex actuum humanorum directiva: igitur alii præcipi debent, qui ex genere suo boni sunt, prohiberi alii, qui malitiam continent; permittuntur autem, qui nec boni, nec mali, sed indifferentes sunt ex objecto suo, puta à *lege humana*, cùm attentâ lege divina omnis actus humanus vel moraliter bonus sit, vel malus. Cumque officium legis sit, etiam efficaciter intendere suâ observantiam; id obtinet puniendo. *Premiari* cùm quilibet possit, etiam nullâ autoritate publicâ donatus; idcirco inter actus legis referri non solet. Itaque lex omnis aut *præcipiens* est, aut *prohibens*, aut *permittens*, aut *puniens*. Legis tamen permittentis nomine non venit hîc mera negatio præcepti, sed actus positivus, quo Superior statuit, ut id, quod vel indifferens est, vel antea prohibitum erat, licitè fiat, sicque obligat, ne impediatur, aut puniatur v. g. contrahens matrimonium in quinto consanguinitatis gradu.

III. Cujusvis Legis primus ac princeps effectus est obligatio in conscientia juxta illud ad *Rom. 13.* *Omnia anima potestatibus sublimioribus subdita*

sit: